

*Mf* 41.

(2)



12.

COLLOQUIUM  
MUHAMMEDANI  
ET  
CHRISTIANI  
PETROPOLITANVM  
ANNIS MDCCXII. ET MDCCXIX.  
HABITUM

EX GERMANICA LINGUA CON-  
VERTIT IN LATINAM

EDIDITQUE

D. JO. HENR. CALLENBERG.

---

Halæ typis Instituti Judaici  
MDCCXL.

MULHAMBIDANI  
ET  
CHRISTIANI

PETROPOLITANVM  
ANNIS MDCCXII. ET MDCCXIII.  
HABITVM

.....

EX ORN. UNIVERSITATIS  
MAGISTRORVM



D. JO. HENR. CALLAENG.

---

MDCCL  
1755



§. I.

**A**Nno c1713ccxix. Petropoli versabatur Tatarus, B. oriundus ex regione, Uffa. Is cum grave negotium haberet in senatu nostro, ubi ipsi vehementer resistebatur, ad me confugit, dicens: se cognovisse ex aliis, ab Imperatore viros germanos in curiam adsciros, quod confidret, civibus ipsos jus incorrupte reddituros. Hac fiducia se

A 2

rogare,

Anno c1713ccxix. Narratio haec a collocutore christiano, viro illustri, germanice scripta, in manus meas venit. Deinde ephemeridum, quae bibliotheca theologica nomine insignita sunt, parti, ni fallor, secunda, eodem sermone inserta est.

Jus incorrupte reddituros. Theophanes, archiepiscopus Novogrodensis, in Lacrymis Roxolanis, pag. 42. "ne vel ipsi judices & administratores in officio suo quicquam negligenter, aut pervertere attentarent, vel centoculus, si fieri pos-

"sec,

---

#### 4 COLLOQUIUM MUHAMMED.

---

rogare, ut causæ ipsius, cui adversarentur multi, patrocinarer, eamque perducérem ad finem. Respondi: si mihi causam sincere explicaret, me effecturum, ut jure suo potiretur. Tum ille mihi causæ suæ ostendit descriptionem luculentam: qua perlustranda & perpendenda totum fere tempus pomeridianum consumsi.

##### §. II.

Interea animadverti, ipsum & socium ex fenestra identidem prospicere. Cur id facerent,

---

”set, esse, & ad omnia penetrare cupiens,  
”( *Petrus, imperator,* ) in omnes curias,  
”oculorum instar, cognitores causarum  
”immisit: dato eis negotio, segnescentes  
”animos excitandi, & corruptelas juris &  
”æqui intercessionibus inhibendi. De-  
”nique, ne quid maleficii, veluti anguis  
”in herba, delitesceret, alia lumina per  
”universum imperium sparsit, videlicet  
”Fiscales, quos vocant, inquisitores, ea  
”lege obstrictos atque auctoratos, ut non  
”peculatus modo crimina odorarentur,  
”verum etiam privatorum injurias vesti-  
”garent, eorum præsertim, qui vel ex-  
”trema passi, contendere tamen judicio,  
”cum adversariis vel ob inopiam suam  
”non possunt, vel propter illorum po-  
”tentiam non audent.

rent, primo ignorabam; deinde ratio patuit. Nam cum solem circiter intra semihoram in occasu fore videret, veniam petebat paululum discedendi, quod tempus precationis instaret. Dicebam: intraret cum socio atrium, in quo soli sine impedimento precationem peragere possent. Abibant, & prostratis togis, quisque pronus procidebat. Precati sunt voce, paulum sublata, utentes lingua arabica; precatio durabat fere per quartam horæ partem. Postea ad me revertebantur: & satis de statu causæ interrogari, discesserunt. B. obsecrabat, ut potestatem sibi darem ad me porro accedendi. Ego: hoc ipsi licere semper a meridie; ante meridiano tempore me senatui adesse oportere.

§. III.

Biduo, triduove interjecto, cum illi scriba indicavisset, me causam ejus, cum qua imperatoris utilitas conjuncta, & quæ in se justa erat, etiam si multi contradixissent, graviter oravisse; venit ad me, gratias agens, quod pro se verba fecissem, & obtestans, ut se pergerem juvare. Porum, qui Thee dicitur, sorbebam, cum ille me adiret. Hujus sorbilli aliquid ei obtuli; quod accepit magna cum veneratione, exforptisque vasculis aliquot, ita me compellavit: *Domine, liberumne mihi est, aliquid ex te querere!* Re-

---

6 COLLOQUIUM MUHAMMED.

---

spondi ego: posse ipsum sine metu libere loqui.

§. IV.

Tum pergebat: Domine, tu sane non es christianus? Ego: immo christianus sum, quae Dei gratia est; cur tam male de me sentis, scilicet me non esse christianum? Ille: ab Domine! quaeso, ne irascaris; id nequaquam malo animo dixi. Cognovi, te bonum piique virum esse, & amantem justitiae; itaque cogitabam, te non esse christianum. Omnes enim christiani, qui apud nos in provincia Casanensi degunt, avari sunt, iniusti atque fures; quid? quod nullum est scelus, quod non patrant. Adhuc mea confirmabatur opinio, cum neque in atrio, neque in conclavi hoc tuo, christianorum Deos ex pariete pendere viderem.

§. V.

Tum ego ostendi: non oportere ipsum moveri exemplo malorum, quod vidisset, qui se appellarent christianos, cum non essent. Neminem esse christianum verum praeter eum, qui doctrinam Christi sequatur, quae praecipue in hoc consistat, ut Deum supra omnia toto animo, & homines, sicut nos, ac inimicos etiam, diligamus: ut omne id fugiamus.

---

Omnes enim christiani. Id ad magnam malorum catervam, non autem ad singulos referre jubet equitas.



ET CHRISTIANI PETROPOLIT. 7

fugiamus, quod pravum sit; & quod rectum, id solum faciamus. Imagines, quas conspexisset, non esse Deos; me adorare Deum, qui caelum atque terram condiderit,

§. VI.

Ille ad hæc hilari vultu respondit: *ergone, Domine, Deum nostrum adoras; nam hic est Deus noster, qui caelum terramque fecit, qui primum hominem, Adamum, & uxorem ejus, Evam, creavit.* Corrupte exposuit historiam Noachi, Abrahami, Isaaci, Jacobi, hujusque filiorum duodecim, Josephi, a fratribus vendati, verum deinceps ad summam dignitatem in Ægypto eVecti.

§. VII.

Cum finivisset narrationem, dixi: *verum est, nos unum adorare Deum, qui caelum atque terram condidit; nihilominus magnum inter vos intercedit discrimen. Nempe tu, in quo vicem tuam doleo, Deum illum non nosti; ego novi ipsum ex scripturis sacris, ac per filium ejus unicum, IESUM CHRISTUM, per quem aeternam adipiscimur salutem, si doctrinam & exemplum illius sequamur.* Ille: *nihil unquam audiivi de IESU CHRISTO, ac latuit, christianos ab ipso nomen habere.*

§. IIX.

Interrogavi, notumne ipsi sit, quod Deus trinus primum hominem, Adamum, ad sui imaginem condiderit; quod Adamus, mandato

## 8 COLLOQUIUM MUHAMMED.

dato Dei violato, amiserit istam, & paradiso ejectus sit; quod nos omnes, ab Adamo ducentes genus, condemnati fuisset, nisi Deus, per meram gratiam, amoremque, filium unicum, IESUM CHRISTUM, pro nobis tradidisset; qui, susceptis in se totius generis humani criminibus, dirissimas pertulerit pœnas, passus se cruci adfigi, mortuus, tertioque die reversus in vitam, ac in cælum evectus sit, ubi adhuc pro nobis apud patrem cælestem intercedat; qui solus sit via, qua homines, fidem ei adhibentes, atque obtemperantes præceptis ejus, hac vita peracta, ad æternam pervenire possint?

### §. IX.

Respondit: se hæc omnia, quæ dixerim, nunquam audivisse, præterquam id, quod Adamus ob esum pomi paradiso sit expulsus. Tum ego: cupiatne scripturas sacras legere; me daturum ipsi codicem, ruthenice scriptum. Quanquam christiani, ut ipse narraverit, in provincia Casanensi impie vivant, hoc tamen pro certo habeat, codicem istum in omnibus linguis, per totum terrarum orbem, apud probos atque improbos extare integrum, sine ulla corruptela. Ille querebatur: se posse quidem ruthenice loqui, verum se, quantum ad linguam hanc attineat, legendi, scribendique esse imperitum. Arabica vero se legitè posse, ac scribere. Quodsi biblia, arabi-  
ce

ce reddita, posset adipisci; se cupide ea lecturum.

§. X.

Ab hoc tempore ultra annum hic detentus est, atque sæpenumero me invisit, avide audiens, quæ differui de Salvatore nostro, JESU CHRISTO; de vita & miraculis ejus; commemorando etiam, quam multa de illo Moses, prophetæ, & psalmorum scriptores longo tempore prædixerint. Cum non possem biblia arabica reperire, interrogavi aliquando, an filium haberet, qui in utraque lingua, nempe in rûthena & arabica, exercitatus esset? Si haberet talem, me obsecrare, ut mihi eum in duos tresve annos traderet: me curaturum, ut in schola, a me condita, non falsum, sed verum perciperet christianismum; & postea domum revertetur. Ille: sibi esse tres filios, quorum minimus decem annos natus sit; hunc se ad me ablegaturum, quamprimum ad suos rediisset.

§. XI.

Loquutus sum aliquando cum R. de hoc Tatari; dedit ille mihi schedam, in qua studiosus theologiæ halensis decalogum & præcatio-

B

catio-

Decalogum & præcationem dominicam, catechismi minoris Lutheri, a me in linguam arabicam conversi, particulam,

10 COLLOQUIUM MUHAMMED.

cationem dominicam arabice litteris n̄tidis-  
simis exaraverat. Tataro deinde hoc scri-  
ptum ostendi, & interrogavi eum, an id le-  
gere posset. Hic, vehementer gavifus, reci-  
tabat decem præcepta, eaque mihi explica-  
bat rumenice; addens, suos etiam habere illa.  
Cum legisset precationem dominicam, scisci-  
tabar, an nota ipsi esset? Negavit. Ego;  
si preces has attente, atque cum plena in su-  
um meumque Patrem cœlestem recitaret fi-  
ducia; me non dubitare, quin Deus ipsum  
sit auditorus. Exposui pro captu meo septem  
precationum summam. Dixit, se descriptu-  
rum ista, si hoc sibi permetterem. Donavi  
ei schedam ipsam; quare gratias ex animo  
egit.

§. XII.

Alio tempore dicebat: *domine, meum es-  
set, tibi pro omnibus beneficiis gratum ani-  
mum demonstrare; sed nihil hic habeo, quod  
darem: ubi vero domum venero, munusculum  
aliquod tibi mittam.* Ego: cur male de me  
opinaretur? sciret, me nulla munera acci-  
pere: me potius, si quid ipsi opus esset,  
promptum esse ad suppeditandum ipsi pecu-  
niam, quod absens a patria inter peregrinos  
versaretur. Ille excusabat dicta, quæ protu-  
lisset bono animo & iterum agebat gratias  
pro eo, quod sibi tam liberaliter pollicitus  
essem; hocque libenter accipiebat, fasius, se  
omnino

---

ET CHRISTIANI PETROPOLIT. II

---

omnino pecunia destitui. Quamobrem ei aliquot imperiales dedi.

§. XIII.

Paulo ante discessum audivi, quosdam impetum in eum fecisse, & ipsum valde vulneratum. Vehebar ad illum, mecum adducens chirurgum, atque hunc jussi vulnus curare. Ipse enim vile quoddam emplastrum imposuerat. Præterea largitus ei sum aliquot imperiales russicæ monetae, ut vitam tolerare posset. Imperum vero illum ita factum esse narrabat: post noctem mediam nebulones ignotos irrupisse in domum; tumultu illo se, socium & servum statim expergefatos profuuisse & arripuisse dubinas, id est, baculos magnos. Latronibus cubiculum suum ingredientibus, se lucernam, quam unus prætulisset, ictu excussisse ex manu, ut noctis obscuritas maneret. Quo facto, ventum esse ad verbera; ob cubiculi angustias non potuisse latrones omnes intrare; unde illos suorum ope prorsus expulsos. Mox alios Tataros, inter quos in Slaboda Tatarica hospitabatur, clamore & tumultu excitos accessisse, & fugavisse latrones. Sed hi in pugna ista B. labium inferius cultro totum ad dentes usque absciderant.

§. XIV.

Sanato vulnere, accedebat ad me, gratias agens, quod tot in se beneficia contulisset. Dixit inter alia: *domine, quomo-*

## 12 COLLOQUIUM MUHAMMED.

do te possim remunerari satis, cum dona nobis accipere; optarem, ut gubernator provinciae nostrae esses, ut nos haberemus tam justum praefectum, ac possemus nostrum in te amorem re ipsa declarare. Respondi, id fieri non posse. Cogitavi tamen: simulabo aliquid, ad eum explorandum. Dixi igitur: quoniam ita descripsisset patriam, acsi esset praestantissima, cupere me illic habitare, si pagos haberem, ex quibus, quantum necesse esset ad victum, mihi proveniret. *Ab Domine!* ajebat, *veni modo ad nos; non opus habes pagis: nos omnes ad victum tuum in medium conferemus. Ego: non poteris stare promissis: nam mihi quotannis sumptibus magnis opus est. Ille: habemus in provincia nostra supra sexaginta milia familiarum; possemusne te alere? Ego: tu propensa in me voluntate es, quoniam credis, me tibi benefecisse; at fratres tui, qui me non noverunt, nihil mihi gratis daturi essent. Ille: fratres me huc miserunt, ut ipsorum causam agerem. Consumsi hic quatuor annos, nec potui quicquam obtinere; verum tua ope nunc praecleara sententia pronunciata fuit. Itaque pro certo crede, illos erga te gratos fore. Ego ad haec omnia respondi: si placeret Deo, me fortasse patriam ejus visurum.*

### §. XV.

Discessit; sed non ita multo post, cum  
in

in senatu supremo, ad quem causa ejus delata erat, sententiam impetrasset, quam quaesiverat, ad me revertebatur, dicens: se nunc sententiam obtinuisse, quam cupiverit, atque gratias agere, quod opem sibi in hac re tulerim. Interrogabat etiam, num adnotassem, quantum sibi pecuniæ dedissem mutuo. Ego id adfirmabam. Ille: quas merces desiderarem? se reversum ad suos, statim eas pecuniæ loco missurum. Permissi hoc ejus arbitrio, felix ipsi iter precatus. Extemplo id ingressus est.

## §. XVI.

De regione sua hoc narravit: Ussam dici illam, Casanensis gubernatoris subesse potestati, sitam ad fluvium, Camam, qui intra regnum Casanense in Wolgam devolvatur. Ex uno latere jacere dictum regnum, ex altero Siberiam, ex tertio versus Sinense regnum vicinos esse Caracalbacos & Tataros alios, qui non utantur domibus, sed tuguriis & tabernaculis; ad latus quartum commorari Calmucos vagabundos, quorum regio versus mare Caspium procedat. Ussam fere ex æquo longum ac latum esse. Locorum intervalla suos non metiri milliariis, sed profectioibus diurnis; in itinere, quod ab uno Ussæ termino inchoetur, atque continuetur ad alterum, consumi sex hebdomadas; solum esse fertilissimum.

## APPENDIX.

*Petrus Larricus Tholosanus in Thesauro rerum Indicarum tom II. p. 466.*

**U**ltro ad eum (*Gasparem, Armuzia*  
*"versantem,*) ventitabant Abyssini,  
 "Armeni, Georgiani, Moscovitæ,  
 "Poloni, Hungari, Germani, & alii,  
 "qui compendii temporalis gratia,  
 "aut pertinacia ad Turcas, Mahometanosque  
 "commigrarant. Ex iis unus, Joannes nomine,  
 "in ipso conatu Gasparis adeundi, præclarum  
 "martyrii decus tulit. Germanus erat genere,  
 "Colonix Agrippinæ patre natus admodum lo-  
 "cuplete: sed variis agitatus casibus, tandem  
 "ad Turcas pervenerat, annumque jam deci-  
 "mum in oppido Turcarum, Catifa (in finis Per-  
 "fici ora, ex opposito Barahenis insulæ, gem-  
 "marum piscatu nobilis, centum & decem in-  
 "tra finum ab Armuzia distat leucis) pro Ma-  
 "hometano sese gerebat, tormentarii pulveris  
 "artifex, atque ob id ipsum genti percarus. Is,  
 "audito Gasparis nomine, rebusque iis, quæ  
 "Armuziæ gerebantur, ab impio ministerio ad  
 "famularum Christi, si Gaspar adjuvaret, quam-  
 "primum redire constituit. Id quo sine arbi-  
 "tris fieret, in atramenti librarii difficultate,  
 "sulphureum diluit pulverem: ex eo diluto lit-  
 "teras ad Gasparem una eademque sententia,  
 "Latino,



Latino, Belgico & Franco sermone conscribit,  
 (nesciebat quippe, singulas Gasparem percal-  
 lere:) vehementer optare se, modo apud Lu-  
 sitanos tuto liceat commorari, & in idipsum  
 a Gaspare fidem accipiat, Armuziam venire,  
 & Christo Domino per Sacramentum pœni-  
 tentiæ satisfacere, Ecclesiæ restitutus, delicta  
 deponere, solique Deo, repudiato Mahome-  
 tanismo, obsequi. Eo nuncio lætus Gaspar  
 extemplo rescribit, fidenter accedat, sibi ac  
 Lusitanis adventum ipsius gratissimum fore.  
 Hæc epistola, incertum, ejus fraude, qui per-  
 ferendam acceperat, an alio quo casu ab Ca-  
 tifano præfecto intercepta, Joannis consilium  
 prodidit. Confestim à Turcis accitus de re-  
 ligione interrogatur, Mahometanusne sit, an  
 Christianus? Ille vero intrepide sese Christia-  
 num fateri, atque ad omnia tormenta, necem-  
 que pro Christi nomine promptum ostendere:  
 unum dolere se, quod tot annorum spatio  
 Turcarum specie tenus sit religionem emen-  
 titus. Inde furentibus Mahometanis, sæde  
 laniatus atque dissectus ad ultimum usque spi-  
 ritum in veræ fidei confessione permansit.  
 Hoc ergo modo pro fide Christiana mortem  
 oppetiit. Caput mortuo abscissum & prælon-  
 go infixum hastili, Turcæ in arcis mœnibus  
 posuere. Sed vindex Dei manus haud mul-  
 to post de indigna hac martyris nece, simul  
 & sanctarum reliquiarum ludibrio ultionem  
 sumsit.

"sumsit. Appulit enim Lusitana classis Armu-  
 "ziam, cui Antonius Noronia præerat, millia  
 "circiter duo hominum ea classe vehebantur.  
 "Venerat hæc, ut Turcarum excursiones repri-  
 "meret, & si quæ posset, in sinu Persico Ara-  
 "biæ imminencia, Mahometanorum præfidia  
 "everteret. De Catifano invadendo prima fuit  
 "cogitatio, de Joannis tamen nece etiamdum  
 "nihil penitus intellexerat. Verum priusquam  
 "vela daret, totius turbæ animorum sordes Ga-  
 "spar eluit solus, quod sacerdotes cæteri per  
 "eos dies in morbum incidissent. In quo non  
 "mediocrem molestiam subiit, sed solabatur  
 "eum, quam hinc hauriebat, voluptas. Rebus  
 "igitur animæ in tuto collocatis, & placato Deo,  
 "ardentior ad iter se Lusitanus parat, manus  
 "cum hoste conferturus. Barahenum cum ap-  
 "plicuisset, Arabicum littus haud procul à Catifa  
 "subiit, ac repentina descensione oppidum ce-  
 "pit, atque diripuit. Inter direptionem Gasparis  
 "epistola, Joanni directa, apud Præfectum reper-  
 "ta. Eo argumento, simul captivorum relatu de  
 "Joannis nece cognitum est, refixum exemplo  
 "caput, Armuziamque accurate trans-  
 "missum Gaspar cum psalmodia &  
 "laudatione perhonorifice  
 "condidit.

\* ( o ) \*

\*







Je 2605

S

h. t.





12

COLLOQUIUM  
MUHAMMEDANI  
ET  
CHRISTIANI  
PETROPOLITANVM  
ANNIS MDCCXIIIX. ET MDCCXIX;  
HABITUM

EX GERMANICA LINGUA CON-  
VERTIT IN LATINAM

EDIDITQUE

D. JO. HENR. CALLENBERG.

---

Halæ typis Instituti Judaici  
MDCCXL.